



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1673.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

ANNUS 1673.

Ludovicus Rex Galliaë obsidet Trajectū ad Mosam, & post dies 13. obsidionis strictæ post repetitas impressiones acerrimas deditioe accipit cum ingenti jactura suorum; nam præter aliquot centenos Duces & Officiales insigniores, amisisse dicitur duodecim gregariorum millia. Versa dein arma Gallorum in Hispanos & Cæsarem, qui cum Electore Brandenburgico aliisque Imperii Principibus properabant auxilia Batavis.

A Gallis occupatur Treviris, Solestadium, Colmarium, aliæque urbes Imperiales in Alsatia.

Turrenius infundit se profundius in Imperium, & in Franconia propè Oxovium, Urbē ditionis Herbipolensis, castra firmat, sed post trium septimanarum stationem insigni stratagemate delusus à Duce Montecuculio non sine clade suorum, quorum aliquot millia in regressu occisa à prædabundis Rusticis in sylva maximè Ottonianâ, ultra Rhenum retruditur. Montecuculius verò junctus Hispano-Hollandis adortus improvise Bonnam expugnat, omnemque reliquam Electoris Coloniensis ditionem

nem

nem recipit, tantâ consternatione Gallorû,
ut mense Decembri, & initio subsecuti ve-
ris omnib⁹ convasatis è toto Belgio Acatho-
lico, exceptis solâ Graviâ & Trajecto abie-
rint.

Non melior Gallis arrisit fortuna in Ca-
talaunia, ubi à veteranis Hispanis copiis,
quæ militârant in Lusitania, insigniter hoc
anno fuere afflicti.

Acriter pugnarum inter Hollandos, &
fœderatos Anglos Gallósque, primò qui-
dem fortunâ utrinque pari, secundâ verò &
alterâ vice fœderatis adversâ; unde Rex
Angliæ suorum non tam consilio quàm jus-
su reductâ classe cum Batavis reconciliatus
Gallos destituit. Cujus exemplum paulò
post secuti Elector Coloniensis & Episco-
pus Monasteriensis.

Legatió Moschovitica missa ad summum
Pontificem caruit fructu, quod negaretur à
Romanis Duci Moschoviæ titulus Cæsaris,
quo se ornandum præsumebat à Pontifice.

In Anglia novo edicto proscripti Catho-
lici, cui occasionem præbuit Jacobus Dux
Eboracensis Caroli Regis Frater, qui certâ
licet non publicâ religione Catholicus in
Conjugem duxerat Mariam Eleonoram fi-
liam Ducis Mutinæ. Polo-

Poloni instaurato hoc anno bello Turcas
 sub Joanne Sobieski supremo Regni Pole-
 marcho prope Chozymum ad Tyram flu-
 vium Mense Novembri clade internecinâ
 delerunt. Plura moliri vetuit anni tem-
 pestas, & mors Regis Michaëlis, qui sub i-
 dem ferè tempus Leopoli fati concessit.

Leopoldus Cæsar extinctâ mense Majo
 Margaritâ Hispanâ ad secundas Nuptias
 transit cum Claudia Felicitate Ferdinandi
 Caroli Archi-Ducis Tyrolensis filia, cum
 quâ tamen vano felicitatis omine breve
 matrimonium habuit.

ANNVS 1674.

Rex Galliæ, immisso in Cæsarianos Tur-
 renio, qui eos distraheret, mense Majo
 Burgundiam invadit, & intrâ paucas heb-
 domadas vi & metu subigit.

Turrenius Cæsarianis occurrens in Pala-
 tinatu cum eis decertat acri conflictu sed
 dubiâ victoriâ Eodem pene Marte & suc-
 cessu inter eosdem denuo conflictum pro-
 pè Holz- & Enfishemium: quamvis non
 desint ex scriptoribus nomini Francico mi-
 nimè infensi, qui apertè fateantur, Gallos in
 hac pugna cecidisse alea, & præter impedi-
 menta omnia amisisse suorum quatuor mil-
 lia,